



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

322. Dominica 22. post Pentecost. De via unitiva, & qui ad eam
admittantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCCXXII.

Dominica 22. post Pentecosten.

*De Via unitiva, & qui ad eam
admittantur.*

Videbo Dominum JESVM perfectione
exornatum sicut Sponsum, ad eamque
invitantem. *Perfecti estote, &c.* Petam ob-
tinere perfectionem,

Conf. 1. Perfectionem esse unionem ani-
mæ cum Deo per gratiam purgantem, illu-
minantem, & animam Deo colligantem per
omnes virtutes, tam in habitu, quam in ætuo,
cujus idea post Deum est D. JESVS, de quo
D. Gregor. Naz. Orat. 42. inquit: *Christus
perfectus fuit.* Ferimur ad eam cognitionem
veri, bonique amore, & habitibus superna-
turalibus, quorû exercitio anima Deo quasi
alimento vivit, crescit, & similis fit.

Conf. 2 Quinam à Perfectione excludantur.
1. Excluduntur à Perfectione, quicumque
in via purgativa, & illuminativa malè ver-
sati sunt. Itaque non admittuntur, quos
non regit amor obedientialis Dei. 2. Qui
reguntur tantum amore concupiscentiæ, li-
cet circa spiritualia, & cœlestia: hinc exclu-
duntur omnes affectus non puri amoris Dei,
ut est timor pœnæ, qui naturâ suâ minuit
voluntarium, & efficit inconstantes, præser-
tim

566 *Dominica 22. post Pentecost.*

timor persecutionum, quibus ideo affliguntur iusti, quia perfecta abnegatio, proprijs ipsorum actionibus acquiri non potest, ob amorem proprium timentes, ne excedant in fervore: & quia passio melior est, quam actio propria, utpote expurgata omni propria voluntate, tota procedens à Deo, & quia iusti incipientes patiuntur, ut purgentur: perfecti, ut uniantur Deo ex toto, patiuntur bonorum externorum privationem, licet non malè possessorum, ut Christus etiam tunica spoliatus, iacturam valetudinis, ut Christus tanta passus: infamiam, ut Christus, in quo fama damnata fuit: in subtractione bonorum spiritualium, non habituum, sed aliquorum ejus actuum, desideriorum, occasionum, solatij, ita Christus derelictus fuit, in eaque mortuus.

Cons. 3. Admittuntur ad perfectionem, qui eam summè æstimant, perfectos, quibuslibet alijs præferunt, perfecta quibuslibet alijs præhabent, occasiones nec minimas bene agendi omittunt, in quibus semper est lucrum aliquod spirituale, augmentumque Perfectionis: nam aliàs non possent esse perfecti, quibus non est occasio difficultum actuum, cum tamen omnibus dicatur. *Perfecti estote: è contrario occasiones contemptæ vigorem relaxant virtutum, denique ad perfe-*

Dominica. 22. post Pentecost. 367

perfectiorem admittuntur, qui sibi proponunt perfectionis bonum, non ut jam acquisitum, sed acquirendum, propterea quod in hac vita excessus, & defectus nunquam satis tolli possint. Unde consequitur, quod ad perfectionem conducat fervor: quia ipse facit impeccabilem etiam venialiter, ipse difficultates à natura & dæmone ingestas perumpit, ipsius effectus sunt diu, sæpe, facile, vehementer operari: causæ fervoris sunt agnitio, aestimatio, gratia, cooperatio, complexio, unde quæcumque Deo placent, exequamur, & frequentatio sanctissima Eucharistia, juxta illud D. Chrysostr. Homil. 45. in Joann. & 61. ad pop. Math. 17. *Hic sanguis facit, ut imago in nobis regia floreat.* Petam cum Domino JESU odisse, & exuere omnem imaginem imperfectionis, qui *noluit accipere materem, ut ait Origenes: ne sit aliquando imago Cesaris apud imaginem invisibilis DEI.*

MEDITATIO CCCXXIII.

Feria 2. Domin 22. post Pentecosten.

De Oratione.

Aspiciam Dominum JESUM multò amplius, quàm illud incensum odoramentorum ab Angelis DEO presentatum, in Oratione sua sancta redolentem. Petam donum Orationis, & dicam cum Discipulis: *Domine, doce me orare.*

Conf.